

**Valahfridus (Wilfried Stroh):
De Ernesto Zinn uiuae uocis cultore**

Incipiamus ab historia. Iam hora appropinquauerat, qua Ernestus Zinn in auditorio sollemni de Horatio praelegere solebat: magistrum discipuli auide expectabamus, pugillaria ac calamos expediueramus. Sed quid tunc actum est? Antequam ipse in conspectum uenit, ecce iam uiua uox eius audita est - uox cuius sonum ac suauitatem equidem, dum uiuam, adeo non obliuiscar, ut nunc quoque auribus resonare uideatur. Descendebat igitur Ernestus ille, cum tandem aliquando nos conspectu suo dignatus esset, lentis passibus per gradus scalarum, quibus aditus ad pulpitem patebat, paenula etiam tunc indutus, duas peras portabiles more suo ambabus manibus gestans, puto ut aequilibrio consulere, non tamen tacitus: odam enim aliquam Horatianam, siue *Otium diuos* siue illam *Integer uitae*, in ipso incessu non ille quidem sicca uoce recitauit, sed clare ac modulate cantauit, ad eos modos, si memini, qui cantico Christiano *Iesule care* uel lingua Teutonica *Herzliebster Jesu* accommodati sunt. Quis umquam tale prooemium praelectionis audiuerat? Stupuerunt omnes, stolidi non nulli riserunt, callidiores pauci quid uellet intellexerunt.

Neque enim ille scurrae more facetus esse aut ad cantoris famam adspirare cupiebat, sed ueri professoris officium secutus discipulis suis doctrinae metricae documentum exhibuit. Nam primum quidem cantu suo odas Horatianas uera esse cantica demonstrauit non solum numeris instructa sed etiam modis musicis instruenda (dixerat enim ipse sua esse *uerba lyrae motura sonum*). Deinde, et id certe maius erat, animos uocare ad accentus in lyricis Latinis certa ratione distributos studuit: nam si uersum Sapphicum ita cantas aut recitas, ut syllabarum dimensionibus et „ictibus“ (qui dicuntur) neglectis tantum accentus naturales serues - ut fiat *Integer uitae scelerisque purus* -, tum quasi sua sponte efficiuntur illi numeri qui sunt in cantione Germanica *Hérzliebster Jésus, wás hast dú verbróchen*. Nec dubium est quin pius ille poeta Germanus hoc ipso modo uersus Horati legerit suaque lingua et modulatione exprimere studuerit. Atque Ernestus haec iam olim in dissertatione sua Monacensi doctissime disseruerat,¹ tunc autem nobis eadem suauiter demonstrauit idque fecit, ut ipse dicere solebat, uiua uoce.

Viua enim uocem quanti Ernestus Zinn fecerit, uel ex ea farragine scriptorum nouimus, quam Michael ab Albrecht composuit et eo ipso titulo *Viuae uocis* iure ac merito instruxit.² Ibi Ernestus ipse disputatione quadam docta et urbana docet quantum uiua uox eis omnibus cara fuerit qui uariis temporibus Latina studia aut coluerunt aut etiam renouauerunt. Cuius usum in multas partes diuidit, quarum duae sunt praecipuae: nam altera in consuetudine Latine loquendi uersatur, altera posita est in recitatione cum orationum tum carminum Latinorum. De his igitur duabus partibus agemus.

Ac de consuetudine loquendi utinam plura mihi referre liceret! Nam Ernestus, cum unice Latine sciret eamque scientiam etiam in aliis libenter agnosceret, admodum raro eheu ipse Latine dicebat. Fauebat ille quidem quam studiosissime colloquiis illis Latinis quae in Seminario Tubingensi primus Hildebertus Hommel instituerat, tum Godo Lieberg, Michael ab Albrecht, Rudigerus Vischer, Eberardus Heck feliciter prouexerunt - fauebat inquam illis, ipse tamen ab hoc genere utilissimo exercitationis scholasticae nescio quo pudore abhorrebat. Etiam C. Arrium Nuum, poetam singulariter ingeniosum, olim Tubingam uocauit ut Latino sermone praelegeret, ipse tamen uernaculo malebat. Monebat nos etiam in seminariis ut singularum scholarum summaria (quae protocolla dicuntur) Latine et perscriberemus et recitarem, quae erant progymnasmata optima; sed ipse etiam tum paucis uerbis Latinis

¹ Ernst Zinn, *Der Wortakzent in den lyrischen Versen des Horaz*, München 1940; iterum editum: Turici / Neo Eboraci 1997 („mit einem Nachwort zur Neuauflage von Wilfried Stroh“, p. *123-*135, ubi fusius de metricis Zinnianis disputavi).

² Ernst Zinn, *Viva Vox: Römische Klassik und deutsche Dichtung*, herausgegeben von Michael von Albrecht, Frankfurt/M. et al. 1994; ibi: Zinn, „Viva Vox“ (primum 1959), p. 17-27.

additis contentus erat. At quam facundus esse potuit, si quando libuit! Memini cum me in Examine finali, quod etiam publicum dicitur, Latinis uerbis non appellaret modo et interrogaret, sed disputatione in certamen uerborum et argumentorum uocaret.

Semel tamen, quantum recordor, ueram orationem Latinam cum omnium admiratione habuit. Ordo philologorum alicuius uniuersitatis - quae ea fuerit non recordor - Ernestum ad se uocauerat. Nos igitur timore trepidi, ne tantum magistrum aliorum in commoda perderemus, id fecimus quod olim in more Academicis erat (nunc id iuuentus Academica ne fando quidem audiuit), nempe ut pompam nocturnam institueremus facibus siue funalibus illustratam. Longo igitur ac sollemni agmine per urbem ad domum Zinnianam in monte sitam processimus, praeunte, ut memini, Valtero Jens, qui maximam lampadem quatiens non semel „Retineamus Ernestum!“ clamabat. Eo cum peruenissemus, aliquis e nobis summissa querulaque uoce, ut par erat, magistri fidem implorabat, ne nos amatores suos desereret. Tum uero Ernestus omnem eloquentiam Latinam, quae diu in eo paene latuerat, explicauit. Ac primum blandis uerbis pietatem nostram laudauit; magnificentiam pompae, qua paene indignum se putaret, ad caelum sustulit; denique disertissimis uerbis et uoce mollissima nos rogauit, ut sibi ignosceremus, quod inter amorem Tubingensium et peregrinorum illecebras tam misere haesitaret, ut paene distraheretur. Quid dicam? Ad lacrimas nos commouit. Peroratio autem laetior ac festiuior erat. Suasit enim nobis ut nunc quidem curarum omnium obliti Horatio monente diem siue noctem carperemus, ad uina bullientia pomorumque sucis condita (sic enim fere dixit) animos et labella admoueremus. Quam orationem tum ingenti plausu exceptam postea quidam eum ut perscriptam diulgaret coegerunt. Vellem exemplum mihi seruatum esset!

Sed iam de altera parte uiuae uocis dicendum est, in qua Ernestus magis excellebat quamque strenue exercebat, nempe de recitatione. Cuius artis nunc quoque unum, quod sciam, paruum monumentum exstat. Nam est in mediotheca quam dicunt Sodalitatis Latinae Monacensis nostrae phonocaseta quaedam qua uox Ernesti, dum ex Ouidi Metamorphosis recitat, quasi uiua seruatur (quae lectio fortasse illo inscio et nolente ab audientibus excepta est).³ Sed haec minora. Multo magis iuuat de illis scholis dicere, quae olim fere in tota uniuersitate laudibus celebrabantur. Nam Ernestus, quod nemo antea ausus erat, totam Vergili Aeneidem uno semestri duodecim acroasibus recitauit (anno, nisi memoria fallit, 1963). Quis hoc audire sustineret? „Audite“, inquit, „animis quietis patienter audite! Maro ipse uos suo carmine tenebit, et si quando in tanto uersuum ambitu mens uestra aberrauerit, nolite desperare: reuocabit uos mira dulcedo carminis.“ Neque aliter factum est.

Ac si quaeritis quam rationem in legendo secutus sit: Primum sine ullo linguae uitio aut lapsu, ut dicunt, ita pronuntiabat, ut toto semestri, puto, ne uno quidem loco haeserit aut unius syllabae errorem commiserit. Deinde singula uerba sic formabat ut et illum omnia intellegere sentiremus et nos ipsi poetam facile intellegeremus: neque enim de scripto legere, sed quasi ipse denuo inuenire Aeneidem uidebatur. Nec tamen histrionum more ita agebat, ut singularum personarum mores et affectus exprimeret aut ad ululatum uocem augens aut ad susurrum deprimens: paene uno tenore omnia legebat, non arte actionis suae fretus, sed uerbis Vergili, quem quasi pro Ernesto dicere uolebat. Tamen hic illic eum quoque uis uerborum ad maiorem impetum rapiebat, ut cum in quinto libro de certamine pugilum diceret - fortasse quod ea a poeta ipso magis ad risus excitandos quam ad animos serio commouendos scripta sentiebat. Quae uerecundia, ut ita dicam, Ernesti mihi eo magis admiranda uisa est, quod eam in carminibus Germanicis recitandis non aequae adhibebat. Memini eum, dum Friderici Rueckert carmina quaedam nobis legeret, omnem artem oratoriam et histrionalem adhibuisse, ut non uoce solum, sed etiam uultu, corpore, manibus, modo non pedibus uim uerborum

³ cass. 855, hac inscriptione: „Ovid: Metamorphosen. Lesung von Ernst Zinn, Tübingen (während eines Seminars aufgenommen), vermutlich 1960“. *Sodalitas LVDIS LATINIS faciundis e.V.* hanc sedem habet: www.sodalitas.de.

felicissime illustraret. Sed haec quoque magis in festiuis ac ludicris, quibus uix quisquam aptior erat.

Admirabilior fortasse erat modus quem in rebus metricis (quae ei unice cordi erant) adhibebat. „Ictum“ enim illum quem magistri in scholis peruerse inculcant, ut in secundo Aeneidis uersu audiatur *Ítaliám fató profugús*, eum ictum adeo spernebat, ut omnia uerba quasi orationis numeris solutae essent enuntiarer. Et id quidem rectissime! Sed cum in uno quoque uerbo syllabas iusto more acueret deprimeretque et diligenter curaret, ut longae productius, contractius breues dicerentur, more tamen Germanico inter singula uerba aliquod spatium interpositum reliquit, scilicet ut sensus audientibus esset illustrior. Sic factum est, ut oratio quidem, quod ille uolebat, naturali cursu suo dulciter flueret, numeri autem, id est dactyli et spondei, interdum magis animis diuinari deberent, quam auribus percipi possent. Nos tamen omnes auscultabamur pia admiratione et paene deuotione taciti, uelut ac si sacerdos in suggestu de uerbo diuino contionaretur.

Procul, procul este profani! Vellem haec uerba Sibyllae hic quoque magis ualuissent. Disturbauit enim hoc sacrum et mysticum silentium profanarum quarundam puellarum operosa sedulitas, quae, dum Ernestus Maronem sollemniter celebrat, scilicet ne tempus periret, Mineruae simul operibus uacare uoluerunt – et eis quidem, quae matronis Romanis ignotae erant: longioribus enim acubus uicissim quassatis focalia lanea fabricabantur. *Procul, procul este profanae!* Dici uix potest quanta tum exarserit indignatio mystarum eorum qui illis sacris Vergilianis religiose initiati erant – cum tamen sacrilegae illae suam causam pro parte uirili uel muliebri defenderent: nam cum Horatius iuberet miscere *utile dulci* et cum Vergilius *laborem omnia uincere* fateretur, quid uetare sese inter Musas dulces etiam Palladi utili et laboriosae operari? Vt breuiter dicam: Bellum inde atrocissimum exortum est, quod omnes seminarii sodales in duos quasi exercitus diuisit, quorum alter pro Mineruae laboribus, alter pro Musarum otiiis debellare parati erant. Pacis auctor erat Ernestus. Qui cum a Musarum promachis enixe rogaretur, ut uocis imperio scelestas illas cum focalibus suis e templo deturbaret sacro, id leniter negauit: „Si nil uos uetat otiosos audire, cur illas audire operosas uetem?“ Unde tanta clementia? Non ignorabat scilicet Ernestus quam interdum commoda essent focalia et faucibus et uiuae uoci.